

CASUS

DE COMMODATO, DEPOSITO, MANDATO ET MUTUO

CASUS I.

COMMODATUM.

EXUPERIUS TIBULO commodavit tapetes, seu picturas textiles, ad domus cubicula exornanda, pro nobili quodam hospite recipiendo. Cum autem discessisset hospes, et jam de tapetibus domino restituendis ageret TIBULUS, ecce in media tempestate domus ejus fulmine incenditur, et mox tota cum rebus commodatis comburitur. Potuisset tamen eas ab incendio liberare TIBULUS, nisi ad res proprias flammis subducendas totus incubuisset. EXUPERIUS autem tapetum pretium requirit a TIBULO, qui negat se in hujuscemodi casu ad damnum reparandum obligari. Quare lis inter utrumque inducitur.

HINC :

- QUÆR. 1° *An teneatur TIBULUS damnum erga EXUPERIUM resarcire, attentis quæ sunt in casu?*
2° *An debuisset TIBULUS prius res sibi commodatas ab interitu salvare, quam proprias?*
3° *An teneretur ad restitutionem commodatarius, si tapetes absque sua culpa a fure ablati fuissent?*
4° *Quid, si dubium esset de negligentia gravi in rebus commodatis accurate servandis?*

SOLUTIO :

869. — *R. ad 1^m Quæst.* 1° TIBULUS ad nihil tenetur, si tapetes ex incendio salvare non potuit, quia damnum casui fortuito tantum tribuendum est, cum culpa nullius, ne juridica quidem, intervenerit. 2° Si vero, adhibita diligentia, res commodatas æque ac suas servare potuit, de damno tenetur, quia, ob omissionem diligentiam ex contractu debitam, gravis culpam theologicam reus evadit.

870. — *R. ad 2^m Quæst.* 1° TIBULUS debuit magis attendere ad res commodatas quam ad suas salvandas, si res alienam multo pretiosiores fuerint quam propriae, praesertim si gratuito ei commodatae fuerint. Ratio est, quia rei alienam debetur custodia, quam quisque prudens pro suis adhiberet; quisque autem servaret suas pretiosiores praevilioribus. Ergo similiter agere debet erga res alienas commodatas; secus injustitiam reus evadit et ad restitutionem adstringitur. Porro in nostro casu facile evenire potuit ut tapetes majoris fuerint pretii quam res domesticæ, cum postulatae sint ad cubicula exornanda pro nobili hospite recipiendo: ergo facile commodatarius ad restitutionem obligari potest. *Reuter*, n. 178. — Pariter potuit TIBULUS res proprias praeferre *per se*, si pretiosiores fuerint quam alienam. Ratio ex dictis facile deducitur, nempe, ex rationis paritate.

2° Quid vero in casu in quo tum res alienam, tum propriam fuerint ejusdem valoris? *Controvertitur*. Alii censent commodatarium in hac hypothese debere attendere æque ad res commodatas quam ad suas salvandas, quia, eas accipiendo, suscepit obligationem adhibendi seriam diligentiam res illas, velut suas, curandi et custodiendi. *Reuter*, *ibid.* Alii tamen *communius* dicunt probabiliter posse commodatarium res suas proprias potius a periculo salvare, quia caritas recte ordinata a semetipso incipit, saltem *per se* loquendo, secluso speciali contractu. *Lugo*, *D.* 8, *sect.* 10.

871. — *R. ad 3^m Quæst. Nego*, quia, tunc nulla interveniente culpa theologica, nulla quoque sequeretur restitutionis obligatio. *Recole dicta de injusto damnificatore*, n. 628-634 *et seq.* — *V. Comp.* n. 659.

R. ad 4^m Quæst. Si grave peccatum non commiserit in omissione diligentiam debitam, non videtur obligandus ad restitutionem, quia tunc non est certa obligatio; porro obligatio incerta non est imponenda: etenim non tenetur quis ad restitutionem certam ob merum dubium de damno illato. *Ita auctor casuum Bononiæ editorum*, *V. Commodatarius* Sed Collet adnotator dicit restituendum esse pro rata dubii.

CASUS II.

COMMODATARIUS INFELIX.

PIBERTUS mercator, mane quodam, obstupescens animadvertit magnam mercium suarum copiam nocte praecedenti furtim ablatam fuisse. Die uno alterove elapso, inaudit furem cum mercibus abiisse in alium locum quinque leucis inde dissitum. Absque mora rogat MARCUM vicinum et debitorem suum, ut confestim equum suum sibi commodare velit, quo furem strenue insequatur. Bucephalo insidens, velociter ad praedictum locum pervenit. Sed, heu! dum prima nocte in quoddam hospitium divertit, nova ei accidit calamitas. Altero mane, cum stupore animadvertit etiam equum nocturno tempore clam ac furtive fuisse e stabulo abductum. Hinc miser, amissa spe recuperandi sive merces, sive ipsum equum, pedes domum reverti coactus est, re prorsus infecta.

HINC :

- QUÆR. 1° *An PIBERTUS solvere teneatur equi pretium MARCO ejus domino?*
2° *An vero hospes, apud quem divertit PIBERTUS, ei idem pretium compensare teneatur?*
3° *Quid, si PIBERTUS cum equo ultra quinque leucas furem fuisset insecutus, et tunc tantum equus fuisset ablatum e stabulo, vel a praedonibus eidem violenter ereptus? Debetne equum compensare?*
4° *Si vero PIBERTUS cum equo feliciter fuisset ad propria reversus, potuissetne eundem equum sibi retinere, ex eo quod a suo debitore solutionem debiti aliter obtinere non posset?*

SOLUTIO :

872. — *R. ad 1^m Quæst.* PIBERTUS non tenetur ante sententiam iudicis ad solvendum equi pretium, si equum deposuerit in tuto stabulo, seu nulli extraneo patenti. Ratio est, quia commodatarius, saltem in foro conscientiae, non tenetur resarcire damnum rei commodatae obveniens, nisi culpam theologicam gravem commiserit. Atqui PIBERTUS, in casu, talem culpam non commisit. Ergo in foro conscientiae, ante iudicis sententiam, damnum pro equo sublato compensare non debet. — *Vide dicta supra de injusto damnificatore, n. 628-634 et seq. — V. Comp. n. 659,*

873. — *R. ad 2^m Quæst.* Idem omnino de hospite dicendum est, ob eandem causam. Etenim ei imponi nequit in conscientia, ante sententiam iudicis, obligatio damnum resarciendi, modo per se vel suos famulos, ad custodiam stabuli praepositos, vigilantiam a patrefamilias plerumque adhibitam praestiterit.

R. ad 3^m Quæst. Affirmative, si terminum itineris praefixum notabiliter excesserit. Ratio est, quia equum accepit, ut supponitur, ad iter quinque leucarum tantum peragendum. Commodatarius vero, qui re commodata utitur ultra licentiam acceptam, etiamsi fortuito eam amittat, ad compensationem tenetur, quia vere culpabilis est. *Mora enim sua cuilibet nociva est (Reg. 25, in 6°).* Secus vero dicendum esset, ut videtur, si PIBERTUS equum commodatum accepisset ad tempus, vel ad dies indeterminatos, et praecise ad furem prosequendum, quia tunc omnino culpa vacaret. *Elbel, n. 369.*

874. — *R. ad 4^m Quæst. Affirmative* pro foro interno, scilicet, licebit commodatario tamdiu detinere equum, donec dominus illius debitum suum solverit. Proinde Confessarius hujuscemodi compensationem dissimulare poterit, nisi alia mala graviora secutura praevideat. Etenim creditor, qui debiti solutionem obtinere nequit, ex jure naturali sibi ex re debitoris satisfacere potest, saltem *per se*, secluso scandalo, aliisve gravibus incommodis, ut supra de furto dictum est. *Elbel, n. 371.*

CASUS III.

DEPOSITUM 1°.

THEOPHILUS, mercator, dum in vicinam civitatem ad nundinas profectus, in hospitio quodam pernoctasset, evigilans mane, animadvertit sarcinam suam, quam in suo cubiculo deposuerat, fuisse furtim ablatam. Quamobrem stupore correptus et ira excandescens, mirum in modum invehitur contra hospitem, ab eo damni seu furti compensationem requirens. Negavit hospes se illam sarcinam vidisse, multo minus eam contrectasse: propterea noluit quidpiam, vel minimum, THEOPHILO compensare.

HINC :

QUÆR. 1° *An hospes pretium sarcinae ablatæ THEOPHILO peregrino solvere debeat?*

QUÆR. 2° *Quid, si THEOPHILUS sarcinam in hospitio, vidente hospite, deposuisset, et, dum negotiorum causa alio divertit, hæc furtim ablata fuisset?*

3° *Quid, si peregrinus ille sarcinam speciali hospitis custodiae commiserit, et postea adverterit aliquid ex ea ablatum fuisse, seclusa hospitis culpa theologica?*

4° *Ad quid teneantur artifices, quibus res conficiendæ vel resarciendæ traduntur?*

SOLUTIO :

875. — *R. ad 1^m Quæst. Nego.* Ratio est, quia nullam prorsus culpam, ne levissimam quidem, commisit, cum sarcina ipsi nunquam commissa fuerit. Etenim, si THEOPHILI crumena, quam secum in lecto retinuit, ablata fuisset, nemo hospitem ad resarciendum hujusmodi damnum obligaret; quia, crumenam secum retinendo, eo ipso curam ejusdem in se suscepisse merito putatur. Ergo idem dicendum est, si sarcinam penes se ad lectum retinuit; censetur enim curam rerum suarum in se potius suscipere, quam hospiti concedere. *Elbel, n. 372. — Recole dicta supra in casu fere simili de damnificatore, n. 634.*

876. — *R. ad 2^m Quæst.* Etiam in hoc casu, hospes ab onere restitutionis est eximendus in foro conscientiae, ante iudicis sententiam, nisi gravis negligentiae in re custodienda reus sit. Viget enim semper eadem ratio, scilicet, quia gravis culpa theologica deficit.

R. ad 3^m Quæst. Neque in hac hypothesis hospes urgendus erit ad restitutionem in foro conscientiae peragendam, ante iudicis sententiam. Casus enim non substantialiter mutatur, licet nova circumstantia accedat. Sed facile in foro externo caupones ad damnum resarciendum damnantur, quia facile culpa juridica in ipsis supponitur, nisi probent illud damnum ex casu fortuito vel ex violentia absoluta evenisse. *Elbel, n. 374.*

877. — *R. ad 4^m Quæst.* Idem omnino dicendum est de illis artificibus ac modo de cauponibus dictum fuit. Seclusa culpa theologica, a restitutione immunes judicandi sunt, ante sententiam iudicis. Sed cum diligenter invigilare debeant in res suae custodiae commissas, admissa notabili incuria, etiam in foro conscientiae de damno tenentur. Tenentur enim res sibi traditas sedulo custodire, sicut solet agere *bonus pater familias*, seu dominus quoad res proprias servandas.

CASUS IV.

DEPOSITUM 2°.

HIPPOLYTUS non modicam frumenti copiam ab amico, in loco dissito domicilium habente, depositam accepit, et in horreo suo, intra civitatis mœnia constituto, asservavit. Cum autem bellum ingrueret, et, incursu hostium, segetes vastatae agrique depopulati, imo et horrea spoliata fuissent, annona deficiente, civitas egere coepit, et ipse HIPPOLYTUS penuria affici. Praevidens autem, frumentum ab amico acceptum, ab hostibus ablatum iri, partim illud vendidit, partim etiam ad sublevandam familiam

suam impendit, ratus, melius esse frumentum illud ab amico quam ab hostibus consumi.

HINC :

QUÆR. 1^o *An HIPPOLYTUS potuerit frumentum amici vendere et pro familia impendere?*

2^o *An post factum ad restitutionem teneatur, sive ratione pecuniæ ex frumento obtentæ, sive ratione frumenti ab ipso et familia in egestate consumpti?*

SOLUTIO :

878. — *R. ad 1^m Quæs. Affirmative.* Ratio est, quia *rationabiliter* præsumere potuit depositorem non esse invitum; imo malle ut frumentum in his circumstantiis venderetur, vel ab amico suo consumeretur, cum onere illud tempore suo refundendi. Etenim quisque censetur velle, ut suis rebus provideatur meliori modo quo fieri potest. Atqui in his rerum adjunctis depositarius melius frumento amici sui consulit, illud vendendo, aut illo fruendo, quam si hostium deprædationi relinqueret, cum onere tamen compensationis, postea faciendæ. Ergo nullius culpæ arguendus est. *Elbel, n. 375.*

879. — *R. ad 2^m Quæs.* HIPPOLYTUS, post factum, tenetur ad compensationem, tum pro frumento vendito, tum etiam pro frumento a se et a familia sua consumpto. Ratio prioris evidens est, siquidem pecunia ex frumento vendito illius pretium est; ergo debet esse illius cujus erat frumentum. Atqui frumentum erat depositoris: ergo... Ratio autem posterioris est, quia HIPPOLYTUS non potuisset, tuta conscientia, frumentum consumere, nisi intentionem habuisset illud tempore suo refundendi; secus enim furtum patrasset. Ergo, si cum illo animo consumpsit, in ipso consumptionis instanti, obligationem contraxit illud postea compensandi.

880. — *Objicies:* Depositor nullum passus est detrimentum, quia, si non fuisset consumptum frumentum, ab hostibus dilapidatum fuisset; ergo jus non habet ad compensationem.

R. Nihilominus depositarius obligatur ad frumentum compensandum; nam, ab eo momento, quo illud consumpsit, habendus est tanquam mutuatarius, ac proinde subjicitur obligationi reddendi saltem pretium rei æquivalens: si autem id facere nolit, non excusatur a furto, et est injustus in depositorem damnificator. Nec refert quod hostis forte frumentum abstulisset; nam, si id fecisset absque justo titulo, de damno teneretur: si vero cum justo titulo, depositor non potuisset rationabiliter esse invitus contra illum; at rationabiliter erit invitus contra depositarium, qui, cum velit esse amicus, sine justo titulo renuit frumentum consumptum compensare. Hinc, quemadmodum ille qui rem alterius eripit ex incendio, ejus dominium non acquirit, ita etiam neque HIPPOLYTUS frumentum facit suum, illud deprædationi hostium subtrahendo. *Elbel, n. 376.*

CASUS V.

DEPOSITUM 3^o.

GEDONIUS emit frumentum extra urbem, et apud BABYLAM, villicum, deposuit, suo tempore in civitatem vehendum. BABYLAS autem, cum frumentum æque bonum et forte melius haberet in ipsa urbe, frumentum GEDONII sibi commissum vendidit, suum proprium frumentum in civitate existens substitutus, ne GEDONIUS inutiles expensas ad vehendas suas merces subire cogeretur. Sed ecce infortunium! Antequam BABYLAS suum frumentum GEDONIO traderet, per incendium cum granario periit.

HINC :

QUÆR. *Quis damnum ferre teneatur? An depositor, vel depositarius?*

SOLUTIO :

881. — *R. ad Quæs.* Quis damnum feret? Ferendum erit BABYLÆ, depositario. Ratio est, quia dominus non erat frumenti quod vendidit, sed sub GEDONII dominio adhuc remanebat. Ergo ipsi pretium refundendum est. Etenim intelligi nequit, in præsentis casu, quomodo vera frumenti commutatio facta fuerit. Ad commutationem enim efficiendam, necesse est ut mutus consensus partium intercedat, cum sit verus contractus. Quomodo autem tacitus consensus utrinque haberi potuit, cum GEDONIUS ne unquam quidem cogitaverit de permutando frumento?

Objicies: Præsumi potest depositoris consensus, cum res in ejus utilitatem vergat commutationis tempore; atqui consensus præsumptus sufficit ad dominium alicujus rei acquirendum. Ergo...

R. Posset quidem præsumi consensus domini *conditionatus*, concedo; *absolutus*, nego. Etenim non est credibile depositorem velle consentire in frumenti commutationem per depositarium faciendam, se inscio, nisi sub conditione ut aliud frumentum æquale sibi reipsa restituatur. *Reuter, n. 176.*

CASUS VI.

DEPOSITUM 4^o.

1^o ROBERTUS, ex nundinis rediens, majoris securitatis gratia, merces suas et pecuniæ sacculum rite obsignatum, in quadam civitate penes NICASIVM, mercatorem, deposito reliquit. NICASIVS hæc sibi concredita diligenter in officina condidit. Sed, elapsis subinde pluribus diebus, pecunia otiosa, mutui instar, uti posse non dubitavit, ad perficiendum contractum ex quo pingue lucrum est consecutus. Merces vero aliquas, opportunitate data, summo pretio vendidit, et alias æque bonas pretio medio emit, ut venditis substitueret. Sed lucrum, tum ex pecunia, tum ex venditione aliquarum mercium, sibi integrum servavit.

2^o CANUTUS, alicujus principis thesaurarius, pecuniis sibi creditis, inscio domino, in suum commodum negotiatur, et lucrum sat notabile sibi facit.

Die quadam, cum cistula, pecunia domini referta, ipsi tradita fuisset, eam in suo cubiculo reposuit, eandem postea in arca pecuniaria repositurus. Subinde vero cistulam lustrans, advertit mille francos ex ea fuisse subductos.

HINC :

QUÆR. 1^o *An graviter peccaverit NICASIVS, in primo casu, rebus depositis, inscio domino, utendo?*

2^o *An lucrum, quod ex pecunia et mercibus percepit, sibi retinere valeat, aut totum vel partem domino restituere debeat?*

3^o *An CANUTUS, in secundo casu, lucrum pecuniæ principis, mutuo traditæ, juste suum fecerit, vel illud restituere debeat?*

4^o *An idem CANUTUS mille francos, furtim subductos, erga dominum suum compensare debeat?*

SOLUTIO :

882. — *R. ad 1^m Quæs.* Solutio casus pendet ex variis rerum adjunctis, et maxime ex præsumpta depositoris voluntate, v. g. si sit amicus, aut valde familiaris. *Per se* depositarius non videtur graviter peccasse contra caritatem; quia usus tum pecuniæ, tum mercium depositarum, non censeatur gravem tristitiæ causam deponenti allaturus, si id resciat, modo nullum inde detrimentum passurus sit, id est, modo depositarius in promptu certa habeat, unde reposcenti tempore suo retribuat. Attamen, quando res depositæ sunt obsignatæ, multo facilius præsumi debet depositorem merito et graviter invitum esse, et proinde noxa gravis contra fidelitatem et caritatem facilius contrahi potest. *Voit, n. 911. — Reuter, n. 175.*

883. — *R. ad 2^m Quæs.* NICASIVS retinere potest totum lucrum quod obtinuit, sive ope depositæ pecuniæ, sive ex venditione mercium depositarum, dummodo dominus fiat omnino indemnis. Ratio est, quia totum lucrum illud ut singularis industriæ fructum acquirere potuit et retinere. Etenim nullum deponitori damnum infertur in casu, cum totum id, quod deposuit, vere accipiat. *Reuter, ibid.*

R. ad 3^m Quæs. CANUTUS lucrum quod percipit, cum pecunia principis negotiando, retinere potest, quia inde minime damnificatur princeps, modo illa pecunia otiosa fuerit. Emolumentum inde proveniens industriæ utentis tribuendum est, ut patet ex dictis.

884. — *R. ad 4^m Quæs.* CANUTUS mille francos ab alio subductos restituere non tenetur, si gravem culpam in custodiæ defectu non commiserit, v. g., si brevissimo tempore pecuniam extra ærarium reliquerit, nec prudens periculi metus adfuerit. Si autem iudicis sententia interveniat, in omni casu damnum compensare tenetur. Restituere teneretur, si ejus negligentia fuerit gravis, v. g., si notabili tempore abfuerit, vel si diu januam apertam reliquerit. Constat ex dictis *de damnificatore*, scilicet, requiri culpam theologicam, et quidem gravem, ut obligatio restitutionis in re gravi inducatur. *V. Comp. n. 659 et seq.*

CASUS VII.

MANDATUM 1^o.

BERTRANDUS, sartor, jussus est a GERALDO, viro valde conspicuo, ut emeret 100 ulnas panni diversæ speciei, ad vestes tum pro ipso GERALDO, tum pro ejus domesticis, conficiendas. Mercator, quem adit sartor, de hoc bono eventu gaudens, sponte ei minoris quam cæteris pannum vendidit, imminuens, scilicet, pretium ex decem assibus pro singulis ulnis, ut animum ipsi ostenderet. BERTRANDUS igitur 50 francos seposuit ac sibi servavit, a GERALDO consuetum pretium requirendo.

HINC :

QUÆR. 1^o *An sartor potuerit prædictum lucrum sibi retinere, vel mandanti restituere debeat?*

SOLUTIO :

885. — *R. ad Quæs.* Generatim non facile credendum est mercatoribus, qui asserunt se pretium imminuere in favorem ementis: nam idem fere omnibus repetunt, ita ut cuncti se privilegiatos existiment. Nec raro venditores de industria pretium a principio extollunt et exaggerant, ut postea videantur aliquid de eo remittere in emptorum gratiam. Propterea difficilimum est, in theoria, hujusmodi casus solvere; sed communiter mandanti indulgendum non est, præsertim si pretii imminutio, quæ fieri videtur, sit valde notabilis, ut in nostro casu. Hallucinationis periculo imprimis obnoxii sunt famuli, qui pro dominis emunt, nec verum pretium rerum cognoscunt. Facilius tamen erit sartori nostro dignoscere certum panni pretium et judicare utrum revera mercator, ipsiusmet intuitu, de pretio remiserit. Si vir probus sit, et id asserat, non videtur inquietandus.

Sic de casibus hujusmodi *S. Lig. n. 826*: « Cautè permittendum est « sartoribus ementibus pannos pro aliis, retinere aliquid de pretio: nam « aliquando mercatores potius simulant ipsis donare quam donent, ita « ut, si dominus ipse adiret, pro eodem pretio rem obtineret. Cæterum, « si sartor fideliter negotium domini gerat, et mercator aliquid ei donet « vere gratis, quia suam officinam ille frequentat, vel ut eum alliciat ad « suam officinam frequentandam, licite sartor posset retinere donatum, « modo moralem diligentiam adhibuerit ad emendum ab aliis mercatori- « bus pretio minori. »

CASUS VIII.

MANDATUM 2^o.

SALUSTUS, rei domesticæ cujusdam viri sat opulenti præpositus, ab eo jussus est ut singulis annis necessaria ad familiam vestiendam tanti emeret, penes determinatum mercatorem, nempe CYRILLUM. SALUSTUS vero, CYRILLO prætermisso, apud alium mercatorem ejusdem civitatis res minori pretio comparat. Aliquando etiam, emendi causa, in aliam civitatem

se conferens, pannum tenuiori pretio acquisivit. Residuum porro summæ ad emptionem a domino determinatæ, nec impensæ, sibi vindicavit.

HINC :

QUER. 1^o An SALUSTUS, in primo casu, ad aliquid teneatur erga CYRILLO, mercatorem prætermisum? An erga dominum?

2^o An retinere possit id quod minus impendit, merces in alia civitate emendo?

SOLUTIO :

886. — R. ad 1^m Quæst. Quid de SALUSTO? Nullam quidem injustitiam, CYRILLO prætermisso, commisit, quia mandans, ut supponitur, nullo contractu adstringitur ad merces in ejus officina emendas; sed injustitiæ reus evadit erga mandantem, cujus rem utiliter gerere debet: etenim pecunia quam non expendit, mandantis est, et mandanti clamat. Ergo ei mandatarius parcimoniæ fructum restituere debet. *Recole dicta de furto, casu 9, n. 571.*

R. ad 2^m Quæst. Affirmative. Ratio est, quia lucrum illud quod SALUSTUS obtinet, in alium locum se conferendo, et ibi merces minori pretio emendo, revera ejus labori et speciali industriæ debetur; proinde sub hoc respectu non est inquietandus. *Reuter, n. 182.*

CASUS IX.

MANDATUM 3^o.

1^o RESPICIUS, homo valde industrius, frequenter, ut mandatarius, a BERNARDO adhibetur. Lucrum autem fecit, et ut fructum industriæ sibi servavit in sequentibus casibus: Primo jussus fuit, ut emeret decem modios tritici pro 50 francis; emit autem 40 fr. frumentum bonæ speciei, et 10 fr. sibi reservat. Alias mandatum habuit equum vendendi 300 fr., et 320 vendidit, et proinde 20 fr. seposuit. Alias eidem commissus est bos 200 fr. vendendus; RESPICIUS non habens occasionem illum bovem vendendi, eum ipse pro statuto pretio sibi emit, et postea carius vendit.

2^o CALLIXTUS accipit a MARCELLO annulum, vendendum quinque nummis. Ille vero, felici sorte, eadem die viro perito octo nummis vendit. Igitur quinque nummos tradit MARCELLO, tres vero reliquos sibi servat, tum quia est fructus industriæ, tum quia CALLIXTUS ipse pretium determinavit, nec majus requirit.

HINC :

QUER. 1^o An RESPICIUS possit lucrum perceptum retinere in variis adjunctis, in primo casu relatis?

2^o An CALLIXTUS potuerit pretium residuum sibi retinere?

SOLUTIO :

887. — R. ad 1^m Quæst. In 1^o casu: RESPICIUS non potest sibi servare pecuniam, cui pepercit in frumenti emptione, quia emit nomine mandantis, et rem ejus utiliter gerit. Mandans autem, determinando pretium, significat

se nolle ut majori pretio frumentum ematur, sed non ideo renuntiat beneficio quod mandatarius obtinere potest. Igitur pecunia reservata domino clamat. Secus tamen dicendum est, si RESPICIUS, ut minoris emeret, in alium locum iverit, et expensas fecerit, etc., ut dictum est in casu præcedenti. *S. Lig. n. 825.*

In 2^o casu: neque potest RESPICIUS excessum pretii retinere, quia pretium fuit ipsi determinatum ne venderet minoris, nisi aliud ex verbis mandantis, aut ex circumstantiis colligatur. Quare emolumentum cedit domino, cujus venditor rem utiliter gerit. *S. Lig. ibid. — V. Comp. n. 847.*

In 3^o casu: licite egit RESPICIUS. Ratio est, quia non est ipse deterioris conditionis quam alius quilibet; igitur, modo tribuat domino pretium ab eo determinatum, bene potest bovem sibimetipsi vendere; et si postea, data occasione, illum pluris vendat, lucrum illud suum facit, quia rem suam vendit, et proinde ipsi emolumentum proficere debet. Sed, in eo casu, mandatarius sincere emere debet: ita ut postea omnia pericula et onera subeat, si v. g., bos pereat, deterior evadat, etc. Igitur, re perfecta, haberi debet ut verus dominus, nec potest postea venditionem hanc rescindere. — *Reuter, n. 182. — S. Lig. n. 825.*

888. — R. ad 2^m Quæst. Negative, per se. Etenim 1^o nihil retinere potest ratione industriæ, quia auctarium pretii non est fructus industriæ, sed fructus annuli spectantis ad dominum, cujus nomine CALLIXTUS tantum vendidit: ergo auctarium spectat ad dominum. 2^o Neque aliquid retinere potest ratione rei venditæ, quia illud est pretium rei: ergo spectat ad dominum rei. 3^o Neque ex eo quod dominus designaverit pretium, quia, sine pacto tacito vel expresso retentionis auctarii, illa designatio tantum facta est, ne infra illud pretium designatum annulus venderetur. Dixi per se, quia excipiendus est casus in quo MARCELLUS expresse vel tacite convenit cum CALLIXTO, ut, si annulum vendiderit supra pretium designatum, lucrum sibi servet. *Voit, n. 939. — S. Lig. n. 825.*

Objicies: Mandatarius mercedem pro labore suo competentem exigere potest; ergo illud augmentum pretii hac ratione retinere potest.

R. Vel convenit cum mandante de aliqua mercede, vel non. Si prius, debuit determinari merces illa, et a mandante eroganda est; nec pendet ab arbitrio proprio mandatarii. Si posterius, jam hic censetur voluisse suum officium gratuito præstare. Attamen, si mandatarius laborem arduum susciperet, vel tempus notabile adhiberet ad mandati executionem, modo labori proportionato se compensare posset. Sæpissime mandatarii salarium alia ratione percipiunt, quales sunt famuli, proxenetæ, etc.

CASUS X.

DE NEGOTIORUM GESTIONE.

REMIGIUS emit 50 fr. gemmam 200 fr. valentem, sciens furtivam esse, et ad GERMANUM pertinere; non emit autem ut eam domino gratuito reddat, at cum intentione pretium solutum ab eo repetendi, cum nullo alio modo gemmam hanc obtinere possit.